


W  
e  
150





# ORATIONEM PANEGYRICAM,

QVAM MEMORIAE

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

**DOMINI  
JOSEPHI BERNHARDI,**

DVCIS SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, AN-  
GRIAET GVESTPHALIAE, LANDGRAVII THVRINGIAE,  
MARCHIONIS MISNIAE, PRINCIPIS COMITIS HENNE-  
BERGIAE, COMITIS MARCAE ET RAVENSBERGAE, DY-  
NASTAE RAVENSTEINII CETERA,

SERENISSIMI ELECTORIS PALATINI EXERCITVI  
PEDESTRI PRAEFECTI

PERILLVSTRIS ET GENEROSISSIMVS

**FRIDERICVS L. B. A WOLZOGEN  
ET NEVHAVS,**

IOANNITICI ORDINIS EQVES DESIGNATVS  
CONSECRABIT RELIGIOSISSIME,  
RITE INDICIT

**IO. GEORGIVS WALCHIVS,**

ELOQV. ET POES. P. P. O.

IENAE,

LITTERIS PETRI FICKELSCHERRII.





PANEGYRICUM

OVA M MORIAE

ERBESMI PRÆCIPUE AC DOMINI

**I**gitur serenissimus Princeps ac dominus,  
dominus **JOSEPHVS BERN-**  
**HARDVS**, dux Saxonie, Juliaci, Clivie,  
Montium, Angrie ac Guestphaliæ, Land-  
gravius Thuringie, Marchio Misnie, princeps  
comes Hennebergie, comes Marcæ & Ra-  
uensteigie, dynasta Rauensteinii, serenissimi electoris Palatini  
ex exercitu pedestri præfectus, dignus longiori vita, dignus  
prorsus immortalitate, si ciuium ac multorum hominum vota  
valuissent. sed quam volucris rerum humanarum vicisitudo,  
quam repentina fortuna commutatio, quæ maximarum re-  
rum vertit momenta! cœperat **JOSEPHVS** noster veluti  
sol, fulgere omniumque animos, qui totam perpetuæ ac lætis-  
simæ fortunæ spem in ipso sibi posuerant, summae veneratio-  
nis pietatisque plenisimos in se conuertere, quum prosternit  
& percellit omnia cunctosque a spe ad sollicitudinem maxi-  
mumque moerorem traducit procella. procella, inquam,  
haud opinata, tanquam fulmen sereno cælo magno cum fra-  
gore & terrore missum. subito enim spes sollicitudine, gau-  
dium tristitia, splendor squalore opprimebatur, quum de  
**JOSEPHI**, qui viuere credebatur, morte moestissimus ad-  
ferretur nuntius, nec ipse; sed corpus a cælesti diuinaque ani-  
ma disiunctum ex membre restitueretur. ad quam famæ ac  
corporis aspectus, qui ante oculos versabatur, acerbitatem se-  
renissimos parentes ita cecidisse animis, ut nullo consolationis  
genere possent erigi atque ab angoribus auocari, quisque po-  
terit sibi persuadere. omnia erant horrida, plena squaloris sen-  
susque tantæ calamitatis omnis ætatis, sexus ac conditionis  
hominum imas pertentabat medullas, in quibus & mihi animi  
religio-

religionem, memorie IOSEPHI ac serenissimo ipsius patræque meæ optimo patri, domino meo clementissimo deuinctissimam lacrimas exprimere, maxime moestus fateor. in Pisano illustriue antiquitatis monimento CRVDELIBVS. FATIS. EREPTVS dicitur CAIVS ille cæsar, quum DRVSI Germanici mors romæ nuntiaretur, populus diis suis irascebatur atque aris dirutis, laribus in publicum abiectis adeoque eiurato illorum cultu, illis inuidiam volebat facere, insania quædam inflammatus doloris. verum iniquius insectabantur fatum. quando enim necessitate eius, licet improbe id sentient, omnia regi atque ipsum numen adstringi credebant, æquo potius placiisque animo debuissent subire ac pati omnia malæ, quæ nec vitari, nec auerti possent humanis viribus, prout propter hanc ipsam vim fatalem Stoici animum affectibus omnibus carere voluerunt. nos christiana formati disciplina ad meliorem emendationemque mortis perferendæ rationem accedimus, & nullam plagam, nisi auctore deo, fieri pie ac recte cogitamus, etiam si irascendi locus est, nobis ipsis nostrisque noxis irascimur. deus est, a quo summum vitæ ne-  
cisque arbitrium vel in ipsis reges eosque pendet, qui in excelsis rerum humanarum fastigio sunt collocati: qua altiore sapientia instituti doleremus quidem IOSEPHVM nostrum, in ipso ætatis flore extinctum; sed ab impia illorum pietate alieni non CRVDELIBVS; sed DIVINIS EREPTVM FATIS. quodsi autem a deo hanc accepimus calamitatem, inuenimus omnino in ipsa diuina voluntate exquisitum ad dolorem animi mitigandum ac mentem, qua mœroris cruciatu lacerata est, componendam remedium, solidam quippe ac veram spem, fore, ut qui altissimum fecerit vulnus, illud quoque sanare possit felicissime. cui aduersus luctum medicinæ maximum quoque accedit robur, quando reputamus, quod Princeps noster IOSEPHVS, quum ex his terris cælum commigraverit, omnibus, si & in summa dignitate sint positi, hac noua præstet conditione. corona quippe vitæ æternæ ornatus in cælitum splendet societate, ac quum præsens intuetur deum, cælesti felicitate summisque deliciis ita fruitur, ut nec finem habitura sit voluptas nec perpetuitas tedium. quidquid ei de vitæ usura mors acerba detraxit, illud homines adiicient ad nominis ipsius gloriam, celebritatē memoriamque sempiternam ac virtutum, quæ in eo plane eximiae fuerunt, admiratione atque amore semper flagrabunt. fruatus beatissimus

simus Princeps gaudio suo sempiterno : vita virtutum plenissimæ , cuius summam iam trademus , memoria in nostro semper vigebit pectori.

Sit vero initium , quod natura constituit , ab ortu & natalium splendore . Meinungæ anno seculi huius sexto d. XXVII. mai. lucem primam vidi ac parentem habuit serenissimum principem ac dominum , dominum ERNESTVM LVDOVICVM , ducem Saxonie , Iuliaci , Clivie ac Montium , Angriæ Guestphaliæque , Landgrauium Thuringiæ , Marchionem Misniæ , Principem comitem Hennebergiæ , comitem Marcæ ac Rauensbergæ , dynastam Rauensteinii , sacræ caesareæ maiestatis & sacri romani imperii supremum tormentorum præfectum , conseruatorem academiæ huius indulgentissimum , in quo ad summum vsque fastigium ea sunt cumulata , quæ in personis tantæ dignitatis insignia esse possunt atque admirabilia . annus fuit BERNHARDVS , qui cum patre ERNESTO tanta pietate tantoque sanctæ & puræ religionis studio excelluit , ut PII cognomine adpellati colantur , ac virtus eorum omnes seculi iniurias sustineat nec memoria ylla deleri possit vetustate . mater vero heroina & dux post hominum fere memoriam consummatissima MARIA DOROTHEA , serenissimorum parentum FRIDERICI , principis Gothani & MAGDALENÆ SIBYLLÆ filia , quæ laudes & gloriam sempiternam sanctitatis , beneficentie , liberalitatis , clementiæ , mansuetudinis ceteratumque virtutum reliquit . qua dignitatis gloriæue memoria viget quoque avia MARIA HEDWIGA Darmstadiensis , quæ & gentis splendore & formæ præstantia atque insigni mentis cultu fuit illustrissima . sed non est , quod augustissimos maiores , a quibus Princeps noster sanguinem & genus duxit , copiose narramus , quum lux familie Saxonice latissime diffusa in admirationem sui omnes conuertit populos eiusque decus immortalitati consecratum apud omnes celebratur historicos . sic natus excelso loco , autæ quoque virtutis bona accepit cumulatissima , atque per singulare celi munus præter admirabilem corporis formam pulcritudinemque eiusmodi natus est indolem , quæ vi propria eaque alta atque acri ferebatur ad summa . prout autem eximiæ gemmæ lux ac splendor , quem a natura accepit , quo debet , pretio haud æstimatur , nisi artificis manu poliatur ; ita celsissimi parentes omnes curas ac cogitationes in eo fixerunt , vt quæ ipsi ingenita erat vis ad

maxi-

maximum decus, recto cultu firmior fieret atque expolita,  
sicque corroborata, quem promittebat, exhiberet principem.  
id igitur illis prima & maximæ curæ fuit, vt adhibitis vene-  
randis ac præstantissimis viris, qui rei diuinæ curationi præ-  
sunt, ad solidam sapientiæ religionisque christianaæ scientiam  
traduceretur ac veræ virtutis semen, quod cæli munere pectori  
mandatum erat, altissimis defixum esset radicibus, sicque ad  
vberrimos fructus gignendos procreandosque valeret multum  
nec vlla vnquam vi posset labefactari. quæ disciplina atque  
animi cultura egregia omnino fuit ac talem formauit principe-  
m, cuius vnicum delicium atque voluptas erat, deum amare,  
libros, quos cælestes viri numinis adflatu litteris consignarunt,  
diligenter euoluere ac summam maximarum curarum in eo  
collocare, vt sacri officii partes rite ac religiose persolueret.  
pietas ista sinu suo & complexu omnes continet virtutes. cu-  
ius studio quum inflammatus esset, & in aliis vitæ partibus so-  
lidæ laudis cursum constanti ardore seruauit ac lucem reli-  
quarum virtutum præ se tulit clarissimam. parentes serenis-  
simos incredibili coluit veneratione: erga quosuis exitit fa-  
ciliſ & benignus: benignissimam autem comitatem, ne per  
istam dignitati quidquam derogaret, grauitate temperauit, vt  
adeo adpareret, omnes magni & perfecti principis numeros  
illum aliquando expleturum. verum vt & ea dignitas acce-  
deret, quæ a litterarum cultura rerumque ciuilium intelligentia  
est, multum quoque studii in præclare ingenio ipsius ornando  
consumtum est, cuius laboris prudens ratio egregios atque  
amcenissimos tulit fructus. in IOSEPHO nostro inerat  
indoles ad litterarum studia aptissima, ad quam alendam fir-  
mandamque quum harum rerum periti viri, in quibus illustris  
FRIDERICVS ERNESTVS SCHENCKIVS, iam a consiliis aulæ  
& supremis præfecturarum VVasingensis & Sandensis di-  
rector, vita & moribus fingendis primus præficiebatur, fue-  
rint adhibiti, eximios fecit progressus. præter linguarum stu-  
dia, in quibus latinitati multam operam dedit, in vario bo-  
narum artium genere diligenter se exercevit atque elo-  
quentiæ, poëseiæ, historiæ, geographiæ, matheſeos non vul-  
garem sibi parauit cognitionem nobilissimaque industriae de-  
dit exempla. in quo gloriæ cursu perillustre imprimitis fuit,  
quod philosophiæ amore ductus has sapientiæ humanæ litteras  
coluerit eiusque cognoscendæ cauſa præcepta, quæ veneran-  
dus IO. FRANCISCVS BUDDEVS noster dedit, ante mentis

oculos posita habuerit. ita solide præparatus auspiciis & vo-  
luntate sapientissimi & religiosissimi parentis M DCC XXI. aca-  
demiam Argentoratensem discessit, amplius studiis ornamen-  
tum adlaturus. præter humanitatis litteras, iis disciplinis,  
quaे legibus cognoscendis absoluuntur, omni cura atque in-  
dustria se consecravit ducemque virum consultissimum IOAN.  
HENRICVM BOECLERVVM sibi elegit, ac quod reliquum erat  
temporis, in corporis exercitationibus, principe dignis con-  
sumsit. qualem heic se gesserit, quemadmodum omnes suo  
studio incitauerit, vitæ morumque integritatis exemplum  
præbuerit illustrissimum ac qualem in omnibus diuinus tam  
animi, quam corporis vigor, grauitas comitate temperata ha-  
buerit admirationem, haud facile dictu est. tanti igitur principis,  
quem aluit sibique inde magnam conciliauit dignitatem, aca-  
demia Argentoratensis memoriam semper retinebit eiusque ex-  
cellas dotes atque eruditionem, cuius illustre dedit exemplum,  
quum publice aduersus dissertationem inscriptam: *Austria princeps*  
cum omnium adplausu disputaret, multaque alia reliqui do-  
cumenta, admirabitur. sed nec in hac cultura adquiescen-  
dum esse putauit JOSEPHVS noster. etenim quum recte  
cognosceret, peregrinationes multum conferre ad perfectio-  
nem, quando oculis subiiciuntur, quaे diuersis locis & naturæ  
& artis ope sunt illustria, in vita & moribus hominum aut  
imitanda aut fugienda, etiam in hac proficiendi ratione ipsis  
adfuit fortuna. anno M DCC XXII. profectione in Galliam  
suscepta, quidquid in cultissima natione eximium est, oculis  
arque animo contemplatus atque ab omnibus non solum ob  
sanguinis generisque dignitatem; sed & propter admirabiles  
virtutes in eo elucentes singulari exceptus est honore. in pri-  
mis in præcipua Remorum vrbe ritus perspexit, quibus Gal-  
lorum rex corona & sceptro decoratus & vinctus fuit, ibi-  
que omnium summae dignitatis personarum, præcipue archi-  
episcopi Remensis comparauit sibi amorem. quo itinere con-  
fecto, Argentoratum rediit ibique semestre adhuc spatium  
studiorum cauſa commoratus est, ac postquam carissimos  
parentes visitauerat, cum serenissimo fratre ERNESTO  
L VDOVICO M DCC XXIII. Pragam abiit ac regi ac re-  
ginæ Bohemorum, quum regiæ potestatis insignibus splen-  
didissimis ornarentur, officia testatus religiosissima. Ratisbo-  
nam & inde Augustam Vindelicorum discessit, & quum per-  
lustrasset Tirolem ac nobiliores Italiae vrbes, Romam venit:  
volupte

sed

sed eheu! quam luctuosum huius vrbis nomen! quam acerbissima illius recordatio atque adpellatio! heic repentina vis oritur ac princeps noster & cum ipso spes concidit. etenim quum morbo pulmonis & iecoris tentatus fuerit, medici quidem arte & vnu peritisimi omnes medicinæ vires ad depellendum istum comparabant; sed ita iam erepta erat conualescendi facultas, vt vitæ finem adesse nec ipse Princeps nec alii, qui aderant, dubitarent. tum vero virtutes, vt militis in prælio, firmissima fides, qua meritis Christi nixus, spes læta ac solida, quæ de cælesti felicitate consequenda incredibilem adferebat voluptatem, constantia fortis, qua omnes doloris sensus superabat, multo illustriores fuerunt, omnes qui præsto erant, grauisime gemebant, plangebant, plorabant; Princeps vero hilari & tranquillo yultu, immoto atque interrito animo vltimam exspectabat horam omnesque fluxarum rerum curas dimittebat ex mente. sic omnibus peractis, quæ pie morienti agenda sunt, deo animam beata & lenissima morte reddidit & d. xxii. martii clausit oculos. corpus cura viri illustris ac generosissimi CAROLI de NIMPTSCH, consiliarii aulici, qui in itinere hoc IOSEPHO nostro fratrique serenissimis adpositus erat, Meinungam delatum fuit, ac d. iii. mensis huius supremi honoris solemnia sunt peracta.

VIXIT igitur IOSEPHVS BERNHARDVS; virtutes autem mors non extinxit, quarum memoria nulla debitur obliuione temporum, sed gratos piosque ciues ad cultum admirationemque excitabit adeoque ab annis vires sumet atque incrementum. quas partes pro summa animi erga diuī Principis manes religione traditas sibi esse omnino credidit perillutris & generosissimus

## FRIDERICVS L. B. A WOLZOGEN ET NEVHAVS, ordinis Ioannitici eques designatus,

filius illustrissimi & generosissimi IOANNIS CHRISTOPHORI L. B. A WOLZOGEN & NEVHAVS, consiliarii imperialis aulici ac serenissimi ducis Coburgo-Meinungensis sanctioris senatus directoris eminentissimi, qui, quum ante tres annos doctrinæ cultusque capessendi causa ad nostram academiam discesserit, præclaris istam ornauit studiis, nec quidquam nisi quod periliustri

W 150 Fr

VDA  
Iustri ordine dignum, admisit, ut adeo ipsum non magis ortus & splendor gentis, quam propria virtus commendet. in scholis doctorum diligentissime versatus est ac doctrinas eorum nauiter exceptit & custodiuuit. præter ceteros in legum, quibus salus reipublicæ continetur, studiis sestatuſt est excellētissimum BECKIVM & consultissimum DITMARVM; in historiarum monumentis illustrem STRUVIUM atque amplissimum SCHMEIZELIVM & antiquitatum romanarum cauſa iurisperitissimum HOFMANNVM, viros meritis egregios laudibusque cumulatos. quibus rebus ea quoque adiunxit præſidia atque ornamenta; quæ petuntur a philosophia atque eloquentia, in quo studiorum genere ipse animum eius doctrinæ cupidum neque ullo fatigatum labore sum expertus.

M DCC XXII. in comitatu serenissimi JOSEPHI BERNARDI HARDI peregrinationem in Galliam suscepit & quum post redditum Argentorati litterarum cauſa aliquot menses commoratus, iterum academiam nostram adiit atque in cursu gloriae plenissimo maxima perrexit industria. quo ardore, quo constanti studio quid fuerit adsecutus, quasue doctrinæ opes sibi collegerit, non solum specimine, quod de grauiſſimo iuriſ argumento edendum meditatur; sed & ipsa hac oratione elegantissima demonstrabit, reliquum est, ut magnificum Prorectorem, illustrissimum comitem Rutherfordum Henricum VI. excellentissimos aulæ proceres atque academiac patres omnesque, qui heic litterarum disciplinas discunt atque ornant, per tanti Principis merita perque religiosi officia, quæ serenissimo patri, academiæ huius conseruatori Clementissimo debemus ac per splendorem perillultris familie Wolzogeniae rogemus obnixe, ut oratorem craftino die hora ante meridiem decima in templo academico prolixe audiant.

Tu autem, beatissime Princeps, vale, vale æternum! NON ABSCONDET TE MARMOREVM MAVSOLEVM. TVVS TVMVLVS ERVNT NOSTRA PECTORA. P. P. in acad.

Ienens. d. XVIII. mai. anno, quam orbis in antiquum gratiae locum restitutus est

M DCC XXIIII.

ANSCHRIFTENBLATT

**ULB Halle**  
007 418 159

3





**ORATIONEM  
PANEGYRICAM,**

QVAM MEMORIAE

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI  
JOSEPHI BERNHARDI,

IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, AN-  
TRPHALIAE, LANDGRAVII THVRINGIAE,  
ISNIAE, PRINCIPIS COMITIS HENNE-  
CIS MARCAE ET RAVENSBERGAE, DY-  
AE RAVENSTEINII CETERA,  
ELECTORIS PALATINI EXERCITVI  
PEDESTRI PRAEFECTI  
VSTRIS ET GENEROSISSIMVS

CVS L. B. a WOLZOGEN  
ET NEVHAVS,  
ICI ORDINIS EQVES DESIGNATVS  
NSECRABIT RELIGIOSISSIME,  
RITE INDICIT

CORGIVS WALCHIVS,  
ELOQV. ET POES. P. O.

IENA,  
LITTERIS PETRI FICKELSCHERRII.



**Farbkarte #13**

